


*PAULUS PP. VI*

EPISTULA ENCYCLICA  
**MENSE MAIO**



AD VENERABILES FRATRES PATRIARCHAS,  
PRIMATES, ARCHIEPISCOPOS, EPISCOPOS  
ALIOSQUE LOCORUM ORDINARIOS PACEM  
ET COMMUNIONEM CUM APOSTOLICA  
SEDE HABENTES: IN MENSEM MAIUM  
SUPPLICATIONES BEATÆ MARIE VIRGINI  
INDICUNTUR.

VENERABILES FRATRES SALUTEM ET  
APOSTOLICAM BENEDICTIONEM.

Mense maio<sup>1</sup> instante, quem christifidelium religio Manæ Dei Genitrici iamdiu dicare consuevit, gaudio animus Noster exsultat, illud quasi præcipiens fidei amorisque spectaculum ad permovendum aptum, quod mox ubique terrarum ad honorem Reginæ cælorum præbebitur. Hoc enim mense, ex altera parte, cum in templis tum intra domesticos parietes a christianorum animis Deiparæ Virgini amantiora pietatis et cultus officia ex recepto instituto tribuuntur; ex altera, crebriora et ditiora divinæ misericordiæ dona e Matris nostræ solio in nos defluere solent.

Quapropter iucundissimus solaciique plenus advenit Nobis religiosus hic mos cum mense Maio coniunctus; unde et in beatissimam Virginem tantus honor, et in populum christianum tam uberes proficiscuntur fructus. Cum enim Maria iure merito tamquam via sit habenda, qua ad Christum ducamur, fieri idcirco non potest quin Mariæ qui occurrerit, Christo pariter occurrat. Quid namque ad Mariam continenter confugientes aliud quærimus, nisi in eius ulvis, in ipsa scilicet Virgine, per ipsam, cumque ipsa, Christum quærimus, Servatorem nostrum, ad quem homines, in huius sæculi trepidationibus et periculis, suorum animorum necessitate quadam compulsi, quasi ad salutis

---

<sup>1</sup> AAS 57 (1965), pp. 353-358.

portum, ad vitæque fontem, rerum naturam transcendentem, se vertere debent?

Quod videlicet mense Maio hinc ad crebriores fidentioresque preces magnopere provocamur, hinc vota nostra ad cor Virginis Mariæ clementissimum faciliorem habent aditum, ideo in pergrato Decessorum Nostrorum more fuit, hunc mensem, Deiparæ Mariæ sacrum, eligere, quo christianum populum ad publicas supplicationes faciendas hortarentur, quotiescumque vel id sanctæ Ecclesiæ postularent necessitudines, vel grave aliquod discrimen in humanam consortionem impenderet. Iamvero, Venerabiles Fratres, hoc anno Nosmetipsi veluti cogimur ad id genus obsecrationes tonus catholici orbis homines elicere. Etenim si hac ad præsentis Ecclesiæ necessitates spectamus, hac animadvertimus quo loco sit mundi pax, cum certis causis putamus, hanc, qua nunc utimur, horam esse admodum gravem, atque adeo nihil prius nec potius esse quam cunctos christianos homines ad precum concentum vocare.

Primam precandi causam magnum hoc Ecclesiæ tempus affert, quo nempe *Concilium Œcumenicum Vaticanum II* habetur. Scilicet maximus huiusmodi conventus ponderosum illud Ecclesiæ proponit consilium, ut seipsam, quoad conveniat, ad nostri ævi necessitates accommodet: in cuius rei successu sive futura Sponsæ Christi ætas, sive plurimorum animorum

sors in diuturnum tempus sitac erunt. Porro grandis ea nunc vertitur hora, a Deo non modo vitæ Ecclesiæ, sed etiam historiæ mundi constituta. Cuius Concilii labores quamvis magnam partem consumpti sint, in proxima tamen eius Sessione, quæ extrema erit, amplissima vos, Venerabiles Fratres, opera et officia manent. Deinde tempus sequetur, haud sane minus grave quam prius, quo Concilii deliberationes ad effectum erunt adducendæ; tunc enim consociatati cleri populique vires exposcentur, ut quæ semina per Concilii dies sparsa sint, ea præsentem salutaremque maturitatem adipiscantur. Ut autem mentis lumen et munera superna, ad tanti negotii adhuc perficiendi magnitudinem necessaria, consequamur, spem Nostram in ea collocamus, quam in exitu Sessionis proxime præteritæ cum animi gaudio renuntiavimus *Matrem Ecclesiæ*. Ea, quæ ab exordio Concilii amanti cura nobis auxilia præbuit, non omittet quominus benigne nobis pergat adesse, donet operi finis imponatur.

Altera causa huius hortationis vobis adhibendæ est rerum status apud plures gentes, qui, ut probe nostis, Venerabiles Fratres, nunc cum maxime perturbatus est et incertus; siquidem summum pacis bonum iterum in discrimen vocatur. His enim ipsis temporibus contentiones inter populos, nonnullas incolentes orbis plagas, cernimus formidulose ingravescere, quasi nullum

captum sit documentum e gravissimis acerbitatibus, duorum bellorum clade allatis, quæ in priore huius sæculi parte terram sanguine resperserunt; videmus homines, magno cum periculo, rursus ad arma descendere, non venire ad condiciones, ut controversiæ tollantur, quibus concertantium dissociantur animi, Ex quo efficitur, ut universi quarundam Nationum cives inenarrabilibus vexentur doloribus, ortis e tumultibus, e bello occulto ac doloso, e veri nominis proeliis, quæ magis in dies amplificantur et acriora redduntur, quibusque scintilla novi ac terrifici belli iam iamque potest excitari.

Hæc immania intuentes pericula, quæ humanæ impendent familiæ, Nos, officii consciï, quo ut Pastor Supremus devincimur, necessarium esse arbitramur palam enuntiare sollicitudinem Nostram ac timorem, utpote qui metuamus ne dissensiones eo progrediantur, ut cruentum exardescat bellum. Itaque omnes, quos penes est publicæ rei moderatio et onus, obsecramus, ne unanimum optatum generis humani, pacem expetentis, aversentur. Ea omnia pro viribus experiantur, quibus pax periclitans possit servari. Ne desinant promotores esse fautoresque colloquiorum et pactionum, inter homines cuiusvis ordinis et dignitatis et quovis tempore instituendorum, dummodo cohibeant periculosum armorum usum et, quæ inde consequuntur, funestissimas calamitates circa rem

temporalem, spiritualem, moralem. Vias secuti, quas ius aperit, dignoscere conentur omne sincerum desiderium iustitiæ et pacis, id confirmet et ad effectum adducant, atque fidem habeant omni germanæ significationi bonæ voluntatis, ita ut probatissima causa recti ordinis potior evadat quam causa perturbationis et stragis.

Pro dolor, in lugenda hac rerum condicione, magno cum animi mærore animadvertimus, respectum sacræ et inviolabilis indolis vitæ humanæ sæpissime non haberi, atque consilia agendique rationes induci, quæ sensui morali et institutis populi, civili cultu ornati, plane adversentur. Qua ex parte facere non possumus quin vocem attollamus ad tuendam dignitatem humanam et civilem cultum christianorum proprium, ad arguendum bellum occultum et dolosum, facinora cum terrore et violentia patrata, comprehensionem obsidum, sævas ultiones, quibus populi inermes conflictantur.

Hæc profecto crimina eiusmodi sunt, ut, dum progressionem sensus, ad iustum et humanum pertinentis, remorantur, animos concertantium magis magisque exasperent, et vias mutuæ bonæ voluntati adhuc patentes obstruere possint vel saltem reddere difficiliore in dies pactiones, quæ, dummodo sincero rectoque animo fiant, ad consentaneam perducere queunt rei compositionem.

Ut compertum est vobis, Venerabiles Fratres, hisce sollicitudinibus non idcirco afficimur, quod privati alicuius commodi studio permoveamur, sed quod illorum tutelam, qui calamitatibus conficiuntur, et germanam populorum omnium prosperitatem unice quærimus. Atque spem bonam fovemus, conscientiam periculi, quod rerum publicarum moderatores coram Deo atque hominibus in se recipiunt, satis esse valituram, ut iidem generosos suos nisus ad tuendam pacem iterare pergant, et, quantum fieri possit, ad ea omnia arcenda, quæ, sive rerum ipsarum sive animorum causa, tutam atque sinceram voluntatum consensionem impediunt.

Attamen pax, Venerabiles Fratres, non tantummodo nostrum hominum opus est, sed etiam, immo præsertim, Dei donum. Pax e Cælo oritur; eademque inter homines tunc reapse vigebit, cum tandem digni erimus, qui hoc munus ab omnipotenti Deo excipiamus; siquidem in ipsius potestate sicut sortes et felicitas populorum, ita pariter corda hominum sunt posita. Nos igitur summum hoc bonum adipiscebimur, Deum precando; precando instanter ac vigilanter, quemadmodum Ecclesia inde a suis exordiis semper lacere consuevit; precando denique hac ratione, ut beatissimæ Mariæ Virginis, quæ Regina pacis est, peculiare interventus et patrocinium interponantur.

Ad Deiparam ergo, Venerabiles Fratres, per totum marialis mensis decursum ferventiore studio ac fiducia nostræ attollantur preces, ut ipsius gratiam ac munera impetremus. Quodsi gravia hominum delicta Dei iustitiam lacesunt, eiusque iustas merentur poenas, nihilominus hoc etiam obliviscendum non est, ipsum esse *Patrem misericordiarum et Deum totius consolationis* (Cf 2 Cor 1,3), ac donorum misericordiæ suæ Mariam sanctissimam generosam administram eum constituisse. Quæ mortalis huius vitæ ægritudines atque ærumnas, quotidiani laboris onera, paupertatis angustias et curas, Calvariæ dolores experta est, ea Ecclesiæ et humani generis necessitatibus succurrat, aures benigna præbeat eorum piis vocibus, qui undique terrarum ab ea pacem implorant; mentes illuminet virorum, qui civitatum gubernacula obtinent, id denique impetret, ut Deus, qui ventis et tempestatibus imperat, dissidentium etiam animorum procellas compescat, et *det vobis pacem in diebus nostris*: pacem veram diximus, quæ in iustitia et amore tamquam in firmo ac solido fundamento innitatur; in iustitia primum, qua debilioribus non minus quam potentioribus legitima iura agnoscantur, in amore deinde, quo errores præcaveantur, e nimio rerum suarum studio forte orituri; ita quidem ut uniuscuiusque iurium tutela in alieni iuris oblivionem aut violationem non vertatur.



A vobis igitur, Venerabiles Fratres, petimus, ut hæc Nostra vota atque hortamenta ad fidelium, vestræ vigilantiaæ concreditorum, notitiam perferatis, ea sane ratione, quæ vobis magis accommoda visa erit; pariterque curetis, ut proximo mense Maio peculiare preces in omnibus diocesisibus atque curiis indicantur, atque præsertim sollempni die, Beatæ Mariæ Virgini Reginae dicato, publica habeatur supplicatio ad ea, quæ diximus, impetranda.

Sciatis Nos spem in puerorum inque afflictorum precibus collocare præcipuam, quandoquidem huiusmodi potissimum voces Cælum penetrant atque divinam flectunt iustitiam. Quoniam vero opportuna præbetur occasio, ne omittatis Marialis Rosarii consuetudinem omni cum diligentia iterum iterumque suadere: preces nempe formulam, Deiparæ Virgini tantopere acceptam atque a Romanis Pontificibus tam sæpe propositam, qua christifidelibus quam maxime idonea offertur copia huic Divini Magistri suaviter efficaciterque obtemperandi præcepto: *Petite et dabitur vobis; quarite et invenietis; pulsate et aperietur vobis (Mt 7,7)*.

Hisce benevolentis animi sensibus moti, lætaque spe ducti, fore ut huic Nostræ adhortationi alacres docilesque respondeatis omnes, vobis, Venerabiles Fratres, cunctisque vobis commissis gregibus Apostolicam Benedictionem peramanter impertimus.

*Datum Romæ, apud S. Petrum, die XXIX mensis  
Aprilis, anno MCMLXV, Pontificatus Nostrî secundo.*

PAULUS PP. VI

---

\*